



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

De Ivstitia Et Ivre ceterisq[ue] Virtutibus Cardinalibus

Lessius, Leonardus

Antverpiæ, 1632

Seren[issi]mo Et Poten[tissi]mo Principi Alberto Avstriaco, Archidvci
Avstriæ, Dvci Bvrgvndiæ, Brabantiæ, Geldriæ, Etc. Totivs Belgicæ
Dynastæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72459](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72459)

SEREN^{MO} ET POTEN^{MO}
PRINCIPI
ALBERTO AVSTRIACO,
ARCHIDVCI AVSTRIAE,
DVCI BVRGVNDIÆ,
BRABANTIÆ, GELDRIÆ, ETC.
TOTIVS BELGICÆ DYNASTÆ.



NON erat magnopere ambigen-
dum, SERENISSIME PRIN-
CEPS, cui potissimum hoc Opus
irem dedicatum. Tuæ enim SE-
RENITATIS statim se menti of-
ferebat imago; cui id iure quo-
dam deberi, multis de causis videbatur. Primùm,
quia principum virtutum, de quibus hîc agitur,
ἡδαιμα quoddam & species, in te magno Principe,
celsóque illo tuo statu, fulget illustrius, tamquam
in paradiamate Principibus viris, & subditis om-
nibus ad æmulandum proposito. Omnium enim
oculi in Principem, tamquam in supremi Numinis
Vicarium sunt intenti; & ad normam, quam in illo
cernunt, vitam suam morésque componunt. Dein-
de, quia Principis est, Rempub. non solùm tran-
quillam & bonis fortunæ affluentem præstare, sed

enon

* 2

etiam

etiam virtutum ornamentis illustrem. si enim finis legum est *Ciues bonos efficere*, vt præclare dixit Aristoteles; idipsum quoque est munus Principis, qui legum est auctor, custos, & anima; vtpote *ἐμψυχον δίκαιον*. at sine istis virtutibus, in quibus totius vitæ probæ cardo vertitur, boni esse non possunt. Has igitur in illos diffundere, principalis est muneris: quod etiam ex eo constare queat, quòd Princeps in Regno suo sit instar capitis, Respub. vt corpus, ciuitates membra, ciues singuli veluti artus, ex quibus membra & totum Reipub. corpus coalescit. Vt igitur à capite in corpus, in membra, in artus, sensus ac motus influit: ita à Principe in Rempub. & ciues singulos Prudentia, Iustitia, & sua cuiusque proba functio. Vnde & hæ virtutes in Principe primariò & *ἀρχιτεκτονικῶς* à Philosopho locantur, cùm ab illo in ceteros sint deriuandæ. His accedit, ad eisdem officium pertinere, inter suos Ius dicere, iniuriam depellere, controuersias dirimere, officia & onera communia congrua proportione distribuere, omnia ad æquitatem & æqualitatem quamdam geometricam, in qua tum pulchritudo Reipub. tum Iustitiæ decus consistit, reuocare. Qua verò ratione in plerisque causarum generibus id fieri debeat, siue de contractibus agatur, siue de delictis, siue de officijs, beneficijs, vectigalibus; hisce libris breuiter & ex primis naturæ principijs declaratur. Aperiuntur enim ipsa Iuris fundamenta, ratione

tione *ἐκ τῆς Διότι*, quantum fas est, & res ipsa patitur,
deprompta. Ex quibus deinde longa quæstionum
inde nascentium series, facili negotio dissoluitur &
explicatur. Denique beneficentia & fauor, quem
SER^{MA} familia AVSTRIACA, & nobilis eius ra-
mus SER^{TAS} vestra, Societati nostræ tum alibi, tum
in Belgio impendit, hoc gratitudinis & veneratio-
nis symbolum à nobis poscere videbatur. Accipe
igitur, SERENISSIME PRINCEPS, tot nomini-
bus obnoxium tibi atque debitum Opus, fronte
serena; velut ab animo obseruantia & studij in
te plenissimo profectum: & hoc Seminarium no-
strum Louaniense, ex quo illud prodijt, cum cete-
ris Belgicæ tuæ Soc^{tis} nostræ Collegiis tuæ benigni-
tatis aura fouere ne desinas. DIVINITATEM oro,
SER^{TI} vestræ & SER^{MÆ} pariter coniugi, præter cæ-
lestia bona sua, prosperitatem & longævitatem im-
pertia. Louanij ex Collegio Societatis IESV,
XXVIII. Augusti, ipso die S. Augustini, M. DC. V.

SERENITATIS V.

Humillimus in CHRISTO servus

LEONARDVS LESSIVS.